



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Francisci Montmorencii E Societate Iesv Cantica Et Idyllia  
Sacra**

**Montmorency, François de**

**Antverpiae, 1638**

Reverendo Patr Francisco Montmorentio Idyllia Sacra Scribenti.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69423](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69423)

REVERENDO PATR  
FRANCISCO  
MONTMORENTIO  
IDYLLIA SACRA  
SCRIBENTI.

**H** *eroum FRANCISCE genus, cui pre-  
mia Virtus  
Illo, quo satus es, sanguine digna  
dedit;*

*Præcipuè tot cùm titulos in tædia vertit,  
Et tibi pro titulis omnibus ipsa fuit.  
Quàm iuuat umbrosos tecum conscendat  
colles,*

*Caraque Calicolis, & tibi, rura sequi?  
Et fontes lustrare sacros, lucosque sonantes  
Diuùm carminibus, carminibusque tui*

*Sed mihi Bethlemî placeant ante omnia val-  
les,  
Et que Iessides per loca duxit oues.*

Allusio ad  
duo Idyll.  
PASTOR-  
BONVS &  
BETHLE.



Hic inter nemora, & gratas pastoribus umbras,  
Cantando tenuit, demeruitque Deum.

Tantaque maiestas calamis & arundine parua,  
Et stipula potuit simplicitate capi.

Hic, dum manè nouo stabulis educeret agnas,  
Ipsa simul Pietas manè petebat agros.

At non sacra pecus loca tangere passus, & olim  
Conscia nascentis tecta futura Dei.

Quamuis æstus erat, quamuis grex languidus  
umbras

Quereret, & medio frigora grata die,  
Et Bethleæa gregem traheret specus: attamen,  
Umbram

Hic captare mea parcite, dixit, oues.  
Religiosus inest qui vos hinc arceat horror,  
Rupe sub hac infans vagiet ipse Deus.

O quoties, paruus caneret dum talia Vates,  
Amemor ardoris substitit omne pecus.

Sepè etiam Superi puerum cinxisse feruntur,  
Cantusque ad pueri continuisse suos.

Parte aliâ ante pedes Salomoni æterna canenti  
Fœdera mirantes procubuerunt fera.

Impauida circum vitula taurique iacebant,  
Et lupus attento mixtus & vrsa gregi.

Allusio ad  
Idyll. SA-  
LOMO.

T 2 Fallor?



Allusio ad Idyll. IESVS-AMISVS.  
*Fallor? an his etiam in siluis quæsivit & amnis  
 Sollicito natum cum sene diua Parens?  
 Et fas hunc, inquit, certis deprendere signis  
 Esse aliquem è Superis arguit ipse decor.  
 Quæ referat violas est vestis, eburnea cernix,  
 Aurea casaries, matris in ore color.  
 Hac ibi me FRANCISCE iuuet memorare,  
 tuosque*

*Quamuis dissimili voce referre modos.  
 Assyrijs ô qui modò lucis inferat! ô qui  
 Me modò Chaldaei sistat ad amnis aquas!  
 Fusus ubi in musco Daniel ad flumina, Regem  
 Ire boues inter vidit, & esse bouem.  
 Ut videt, ut plorat, dum quâ modò frontis  
 coronam,*

*Hac Dominum spectat cornua ferre suum.  
 Ferreus est lacrymis, si quis non tangitur istis  
 Ipso qui fletur plus feritatis habet.  
 Ferreus est etiam quem non Hebronia Tempus  
 Nec Libani valles plus Helicone iuuant.  
 Huc feror. his primùm calo delapsa Poësis  
 Montibus erravit, cultaque diua fuit.  
 Non petulans oculisve argutans mollibus ignis,  
 Nec miscens numeris verba pudenda suis.*

*Qualem*



*Qualem Cecropia mox prostituiſtis Athena,  
Romaque dein mundi, nequitiaque caput.  
Sed penitus formoſa, ſuoque ſimillima celo;  
Blandaque, ſed quamuis blanda, pudica  
tamen.*

*Cingebat caſtam Pudor & Sapientia Dinam,  
Caſtus cum telis ad latus ibat Amor.*

*Vatibus hæc primis iunctas oſtendit auenas,  
Suggellit numeros, materiemque dedit.*

*Fluminaque & ſilvas cantare, & numen in illis  
Fuſſit; &, Hoc Diuum credite, dixit, opus.*

*Fortunate ſenex, per te redit illa voluptas,  
Seque iterum naſci ſæcula priſca vident.*

*Illa tuis tota eſt, cantatque in verſibus atas;  
Totque ſimul Vatum quod fuit, vnus habes.*

*Vnde, precor, tantus vigor eſt agroque ſe-  
ni que?*

*An labor ipſe tuis eſt medicina malis?*

*An tibi dilectis venere è montibus herba,  
Inſtaurare annos qua potuere tuos?*

*An potiùs Dea qua primos docuiſſe Poëtas  
Creditor, has vires ingeniumque facit?*

*Sic eſt, illa tuum caeſti nectare pectus*

*Imbuit, & docuit numine digna loqui.*



*Et manibus modò plectra dedit , gracileque  
cicutas,*

*Aptaque temporibus laurea ferta tuis:*

*Et modò , qui Superos traherent , dictas  
amores,*

*Et modò qua possent verba domare feru.  
Non finit hæc eadem longos sentire dolores;*

*Non finit annorum , non meminisse tui.*

*Ergo licet morbiq; premant , morbosq; senectus  
Ipsa grauet , numquam te sinet illa mori.*

*Nam quemcumque semel placido Dea lumi-  
ne vidit,*

*(Hei mihi! quàm paucis cuenit iste fauor)*

*Ipsè sibi superest , viuitque à funere Vates,*

*Et mors , illius nil nisi corpus habet.*

SIDRONIVS DE HOSSCHE  
è Societate IESV.